



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Vincentii Brvni, Societatis Iesv, Meditationes, De
Præcipvis Mysteriis Vitæ & Passionis D. N. Iesv Christi**

Cum Veteris Testamenti Figuris, & Prophetijs, varijsque Documentis ex
quoque Euangelio depromptis, Nunc ex Italico in Latinum translata

Meditationes in Passionem Et Resvrrrectionem D. N. Iesv Christi

Bruno, Vincenzo

Coloniae Agr., 1599

VD16 ZV 2606

Meditatio 50. De Christi à cruce depositione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59870](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59870)

MEDITATIO
 QVINQVAGESIMA.

DE CHRISTI A CRUCE
 depositione.

EVANGELIVM.



VM autem sero factū *Matt. 27.*
 esset, quia parasceue *Marc. 15.*
 erat, venit quidā ho- *Luc. 23.*
 mo diues ab Arima- *Ioan. 19.*
 thia ciuitate Iudææ,
 nomine Ioseph, vir bonus & iustus,
 qui & ipse discipulus erat Iesu; oc-
 cultus autem propter metū Iudæo-
 rum. Hic audacter introiuit ad Pi-
 latum, & petijt corpus Iesu. Pilatus
 autem cū cognouisset iam obiisse,
 donauit corpus, & iussit reddi Iosepho.
 Qui mercatus sindonem, ve-
 nit, & tulit corpus Iesu.

FIGURA.

AARON cōpletis hostijs pro pec- *Leuit. 9.*
 cato,

cato, & holocaustis & pacificis descendit.

CONSIDERATIONES.

1. *Punctū.*

CONSIDERA, quomodo afflicta mater, simul cum alijs deuotis mulieribus amicisque Saluatoris, apud crucem permanferit, tam propter dolorem acerbæ passionis, & mortis, quam quod iã nox ingrueret, nec videret modum, quomodo deponere & sepulturæ mandare posset Sanctissimū corpus: Verum Dominus, qui deesse nō potest illis, qui sui causa affliguntur; inspirauit Iosepho, homini iusto, & verè bono, (quia dignus fuit, cui Dominus talem faceret gratiam,) hic etsi propter metū Iudæorum occultus esset discipulus, nihilominus virtute sanguinis Christi confortatus, omni humano timore deposito, audacter ad Pilatum ingressus est: & postquam dono obtinuisset thesaurū istum inæstimabilem, venit, & magna cum pietate, vnà cum Nicodemo, de cruce illum deposuit.

Considera admirabilem obedientiam Saluatoris etiam post mortem, nam sicut ex obedientia Patris crucem adiuit, ita postea noluit deponi absque licentia Pilati. Hic etiam considera in quantum seipsum

seipsum pro nobis exinanierit, & humiliauerit Dominus vniuersorum, siquidem non solum tanquam malefactor iudicari voluit, & in crucem affigi, sed post mortem etiam voluit, vt corpus suum ex gratia postularetur tanquam malefactoris, vt terræ mandaretur. Denique vide quomodo Dominus noster omnia sua, & seipsum in commodum nostrum impenderit, non alicuius utilitatis aut pretij respectu, sed solius amoris impulsu. Hinc postquam dedit sanguinem, spiritum & vitam, voluit etiam pro consolatione nostra vt Iosepho, & in persona illius, omnibus nobis corpus suum donaretur.

Considera, quomodo verus & æternus ille sacerdos postquam ad finem perduxisset solemnissimum illud sacrificium, quod in totius mundi satisfactionem oblatum erat, ex cruento illo & sanguineo crucis altari, descendit vestibus sanguine tinctis & conspersis. Hic perpende, quomodo in depositione sanctissimi corporis, interim cum sancti illi discipuli, magno pietatis affectu, humeris suis illum sustentabant; ab alia parte dulcissimus Iesus, amoris sui brachijs eodem complectebatur, animasque proprio sanguine redemptas sibi intimè coniungebat.

gebat. O felices discipuli, quia digni fuistis tangere, & inter brachia suscipere divinissimam illam humanitatem Filij Dei. O si vel semel tantum mihi concessum esset, o bone Iesu, te recipere, & te dulciter brachijs meis stringere & complecti, cum quanta animi consolatione, in hac dilectæ *Spūsæ* verba prorumperem:

Cant. 1.

Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur. Sanctus ille senex Simeon te in vlnas suas accipiens dulcia oscula fixit, benedicens te, in pace quieuit. O si te semper tenere

Cant. 2.

possem, dulcissime Iesu, sicut signaculum super cor meum, sicut signaculum super brachia mea, quantam perciperem consolationem, & in quanta pace quiesceret anima mea?

Considera, interim dum sancti isti viri occupantur in extrahendis clavis, & sanctissimis manibus & pedibus, pia mater stans infra crucem, gemebat & suspirabat, oculos eleuabat, manusque ad Filium extendebat, & cum non posset patienter expectare, donec Filius deponeretur: se erigebat quantum poterat, vt illum contingeret, & illa ipsa adiuuabat vt deponeretur. Denique quando illum iam in brachijs habebat, quis poterit explicare doloris illius magnitudinem?

dinem? Ibi gemitus, ibi planctus, & que-
 relæ renouabantur: plorabant Angeli
 pacis amarè vnà cū afflictæ Matre: plan-
 gebant cæli, stellæ, & omnes creaturæ.
 Complectebatur Mater lacerū Filij cor-
 pus, & illum arctè ad pectus stringendo,
 sanguine se inficiebat, & humectabat, &
 lauabat suis lachrymis, & interim ma-
 ternis & pijs oculis aspiciebat hinc &
 hinc cum magna cordis afflictione, os
 suum admouebat ad plagas impiè infli-
 ctas, & ad vulnera crudelia sacratissimi
 illius capitis, manuum, pedum, & late-
 ris: ob immensam Filij compassionem,
 tot mortes sustinebat, & eo quod mori cū
 illo non posset: quot erant cruciatus &
 plagæ quas videbat, & tangebatur in ipsius
 corpore.

Ex alia parte considera acerbum plan-
 ctum, quo dilectus ille discipulus Ioan-
 nes associabat se derelictæ Matri. O cum
 quanto dolore & amaritudine cordis,
 videns carum suum Magistrum, à quo
 tantopere fuerat amatus, ita miserè lace-
 ratum & mortuum, amplectebatur &
 exosculabatur sacrū istud pectus, supra
 quod paulo ante suauiter recubuerat, &
 conabatur implere aquis lachrymarum
 fontem illum, cuius salutaris aqua ipse
 iam antea erat potatus & inebriatus, al-
 ta con-

ria. Similiter faciebant omnes illæ mulieres & amici Domini, & præcipuè examinata Magdalena, quæ nesciens discendere à Sanctis illis pedibus, à quibus misericordias acceperat, interim cū dolore intolerabili illos complectens, non satiabatur eosdem deosculando, & flumine lacrymarum abluendo, confringebat non semel, sed millies cordis sui alabastrum supra ipsos vngens pretioso vnguento lacrymarum suarum.

COLLOQVIVM.

ROGABIS B. Matrem Saluatoris, per amorem doloremq; illum, quo recipiebat in brachia sua, & plangebat mortuum Filium, vt tibi impetret gratiam, postquã tua peccata fuerint causa mortis ipsius, vt emendatione vitæ tuæ, possis esse auxilio depositioni illius de cruce, & vt te faciat dignum ad recipiendum illum in cor tuum, & ad retinendum semper intra brachia animæ tuæ, & quoniam ille pro tua salute, & exemplo, nõ voluit nisi post mortem, de cruce deponi: tu vicissim, nunquam à suavi crucis iugo ipsius te subducas aut retrahas, quousque ab ipso deponaris, & ad meliorem vitam voceris.

DOCV.

DOCUMENTA.

1. **D**VOBUS Iosephus Dominus commendavit suam personam. *Vni in principio vite, ut ipsum gubernaret: Alteri in fine, ut ipsum sepeliret; Iosephus interpretatur accrescens & proficiens, ut intelligatur, quod Iesus non se illis comunicet, qui in via spirituali consistunt, aut retrospiciunt: verum illis qui indices crescunt, & in virtute proficiunt.*

2. Iosephus occultus erat Christi discipulus, verum ne perderet illum thesaurum voluit manifestari, *Nihil faciens quid alij dicerent aut facerent: Ita non cogitemus nos unquam obtenturos Iesum, si non simus parati contemnere omnes respectus & timores humanos, & multa perpeti: quandoquidem non potest colligi ista rosa, sine spinarum puncturis.*

3. *Cum patientia debemus Iesum de cruce deponere, in quam nostris peccatis illum affiximus, idque veluntarie fateri debemus, cordis dolore, ut fecerunt sancti illi discipuli.*

4. *Imitemur bonitatem viri illius sancti, vivendo hoc modo, ut rogantes cum fide, & desiderantes cum amore, corpus Iesu in sanctissimo Sacramento, simus digni habere*

400 MEDITATIONES

habere illud à Deo, sicut Ioseph illud obtinuit à Pilato.

5. Tunc fatigamur in deponendo Iesu de Cruce, quando occupamur in iuuantis proximis, ut illos ex peccatis extrahamus: quando quidem conuertere peccatorem, qui suis malis operibus crucifigit Christum, non est aliud, quam deponere Christum de cruce.

MEDI

M

M

C

M

pus

cum

co, v

in h

cifur

quan

runt

mag

IO

da

cus,

et